

Post recitationem hymni *Veni Creator*, etc. cum deprecatione *Adsumus*, etc., facie versa ad Crucem Archiepiscopalem, instantibus Promotoribus, Illmus ac Rmus Archiepiscopus declarat Rmos Episcopos Tloanensem et Cydoniensem, priorem Coadjutorem dicti Archiepiscopi, et posteriorem Coadjutorem Episcopi Marianopolitanensis, admissos fuisse inter Patres, sed tantum cum voce consultativa, ex decisione S. Sedis, cum privilegio sibi adjungendi theologos presbyteros eodem numero ac cæteri Patres.

His peractis, 1. Proclamantur nomina officialium qui in prima privata congregatione a Patribus nominati sunt ;

2. Legitur instrumentum, quo Rev. Petrus Adolphus-Pinsonnault constituitur Deputatus ad Concilium a capitulo ecclesiæ cathedralis Marianopolitanensis ;

3. Publicantur nomina theologorum et canonistarum a quocumque Episcopo selectorum.

Post hoc legitur ordo præcedentiæ in primo Concilio servatus, qui jubetur a Patribus in hoc præsentì Concilio servari.

Proclamantur Congregationes diversæ scilicet de Decretis, de Doctrina, de Liturgia, de Disciplina et de Studiis, eo modo quo a Patribus in privata prima congregatione coordinata sunt.

Postea leguntur tria decreta quæ in Sessione prima, sequenti die habenda, proclamanda sunt, scilicet: 1um de aperienda synodo; 2um de modo vivendi in Concilio; 3um de professione fidei.